



# **Universitätsbibliothek Paderborn**

## **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniae Agrippinae, 1707**

Q. 78. Quomodo excusentur mercatores, qui dicunt, vel etiam jurant, se non posse tali pretio merces vendere; item merces sibi pluris constare, cùm tamen neutrum in rigore sit verum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42515**

se longè abesse ab eorum Fide, uti habet S. Gregorius, vel se omnino iturum fuisse longius, nisi invitaretur.

§. 3. Simulatio materialis, si respiciat objectum <sup>299</sup> vel circumstantiam vitiosam, est illicita, uti si quis coram aliis stans ante idolum projiciat thus in thuribulum; quamvis enim ipse forte intenderet se odore illo recreare, & id facere potuisset, si fuisset solus, tamen in illis circumstantiis non tantum committeret scandalum, sed reipsa honoraret illud idolum: è contrà simulatio materialis quandoque respicit objectum & circumstantias omnino indifferentes, uti fuit illa *Josue & Christi Domini*, & tum dicimus non esse illicitam, dummodo tamen non deserviat ad injustam fraudem.

§. 4. Dissimulatio, per se loquendo, est licita; <sup>300</sup> tum autem est dissimulatio, uti innuit S. Th. suprà ad 4, si quis nec verbo nec facto det signum illius, quod habet in mente, sed ab illo quasi præseindat, uti si quis interrogatus an habeat pecuniam, faciat ac si non audisset, & de alia re quasi inadvertenter loqui incipiat, sique distrahat interrogantem; talis homo dissimulat loqui de pecunia. *Dixi*, per se loquendo licitam esse, nam posset esse illicita, si quis dissimularet cum scando vel cum injusto damno Proximi, vel quando loqui aut aperte agere deberet.

Q. 78. Quomodo excusentur mercatores, qui dicunt <sup>301</sup> vel etiam jurant se non posse tali pretio merces vendere: item merces sibi pluris constare, cùm tamen neutrum in rigore sit verum. ¶ Primi per hoc excusantur, quòd intelligent & satis sciantur significare velle, se non posse cum honesto & mediocri lucro ita vendere. Secundi per hoc excusantur,

quia quando dicunt sibi pluris constare, scimus, quod non intelligent nudè pretium rei emptæ, sed etiam computent, partim expensas, v. g. vecturæ aliásque, partim proportionalem partem sumptuarii, quos toto anno faciunt in suam communem negotiationem, hæc enim justè possunt venire nomine pretii, quo res ipsis constat, ita Gob. T. II. n. 672. Quod si locutiones eorum non essent in hoc sensu veræ, mentirentur; & si jurarent, pejerarent.

302 Q. 79. *An complementa sint mendacia, v. g. si quis dicat, sum indignus, infirmus, servus &c. &c. Licet complementa ab aliquibus vocentur completa mendacia, tamen mendacia non sunt, quia omnes sciunt, quod per ejusmodi formulas loquendi non intendamus strictum sensum, quem verba præferunt, sed tantum velimus honorem exhibere, vel affectum ostendere illi, ad quem diriguntur, unde si animus honorandi vel affectus aliquis adsit, erunt signa concordantia cum mente: itaque audiendus non est ille Casista, qui ante aliquot annos in publicis Thesibus Leodii dixit eum committere idolatriam, qui literis suis subscribit, *Sum servus ex toto corde*, eo quod soli Deo debeatur cor totum, nam illa verba inter homines significant solam debitam propensionem animi: quod si quis diceret verba complementorum, & non intenderet honorem exhibere vel affectum seu propensionem ostendere, probabilius est fore mendacium; excusari tamen posse putat Gob. n. 670, quia scimus sic loquentes nolle sibi credi, uti nec volunt sibi credi Poëtæ narrantes fabulas: deinde etiam nein potest hæc assertivæ & ex animo dici, sed tantum veluti modos loquendi ad urbaniter*

con-